

# D E S C R I P T I O E V R O P A E.



**E**N Veteri orbe Asiam supra & Africam multis nominibus excellit Europa, *Europa dignitas.* quam Plinius altricem Victoris omnium gentium populi, terrarumque pulcherrimam nominat. Sive enim cœli temperiem optimam, solique indolem & nobilitatem spectare libeat, sive incolarum frequentiam & ad humanitatem omnem compositos mores, sive res præclarè gestas ab iis, qui eam hæcenus tenuere, longè reliquas mundi partes post se relinquit Europæus orbis. Inclaruit Asia tribus potissimum urbibus, Babylone, Ninive, & Hierosolyma. Africa sola Carthagine. Americam verò hodie illustant urbes Mexicum, & Cuscum. Sed quid hæc singula aut simul omnia ad Europam, præ qua reliquæ partes desertæ videantur, & mera vastitas? Præterquam enim quod urbes habeat plurimas, amplissimas, augustissimasque, montibus adhæc, fluminibusque referta sit, & iis omnibus, quæ ad vitæ humanæ sustentationem necessaria sunt, abundè instructa: hoc insuper ad ejus laudes non parum facit, quod literarum, artium tum liberalium tum illiberalium, scientiarumque omnium sit mater ac nutrix studiosissima: ut jam de juris, ordinis, legumque, quibus gubernatur, præstantia nihil dicam, religionis prætereà Christianæ, quæ hîc maxime viget, dignitate; militiæ admirabili disciplina ac laudè, Principum adhæc Europæorum potentiâ, quæ quidem hodie tanta est, ut eorum sceptrâ Americani, Asiatici, Afri vel admittant, vel horreant.

De Terminis ejus Orientali, quo ab Asia separatur ac distinguitur, minus certa est traditio. *Termini.* Nam qui Tanaim statuerunt, fontem ejus per insignem errorem in Riphæis montibus, haud procul Oceano Sarmatico posuerunt, qua Petzora eos perumpit amnis. Alii verò, qui Isthmum inter Pontum Euxinum ac Caspium mare pro fine constituerunt; hoc ipsum mare Caspium sinum esse putaverunt Oceani Septentrionalis, ea regione, qua immensum patet Obii amnis ostium, irrumpentem. Itaque verum certumque terminum inter Europam Asiamque uti deprehendas, statue post mare Ægæum, Hellespontum, Propontidem, Bosphorum Thracium, Pontum Euxinum, Bosphorum Cimmericum, lacumque Mæotin, primum Tanais, nunc *Don* dicti, fluente, donec adverso amne ad flexum ejus pervenias, apud Tujam oppidum: inde linea ducta ad proximam Obii fluminis ripam, per hoc ipsum in mare Hyperboreum excurre. Illud enim certum, omne littus, quod est sub Septentrionibus ab occasu in ortum versus ad Obii usque ostium ad Sarmatiam Europæam pertinere. A Meridie verò mari Mediterraneo, Freto Herculeo, & parte aliqua maris Atlantici terminatur: ab Occidente mari Atlantico, sive Occidentali: à Septentrione mari Hyperboreo, sive glaciali. Longitudo ejus summa est inter Hispaniæ promontorium vulgo *Cabo S. Vincente* dictum, ad Obii fluminis ostium miliarium Germanicorum circiter 10000. Latitudo maxima ab extremis Peloponnesi ad Scritofinniæ promontorium Rutubas, vulgo nunc *Noortcaep* dictum, mil. 100.

Europæ regiones partim Continentes sunt, partim Peninsulæ & Insulæ. Continentes *Europa partes.* sunt, Hispania, Gallia, Germania, Italia, Slavonia, Græciâ, Hungaria, Polonia cum Lithuanâ & Borussia, Russia, sub qua Moscovia. Peninsulæ sunt præcipuæ, Norvegia, Suecia, Gothia. Insulæ in Oceano sunt Anglia & Scotia, necnon Hibernia, vulgo Yrlandia, minores quidem Orcades X X X. & Hebrides L X I V. Et juxta Britanniam magnam sitæ insulæ, Mona, *Anglesey*, Vectis, & Gallico littori appositæ *Iersey* & *Gernesey*. In mari mediterraneo, Sicilia, Sardinia, Corsica, Creta, hodie Candia, Majorica, Minorica, cum aliis minoribus innumeris. Ptolomæus eam decem tabulis descripsit, incipiendo ab occasu & progrediendo ad ortum. Prima tabula est Hiberniæ & Albionis cum minoribus insulis adjacentibus. Secunda Hispaniæ. Tertia Galliæ. Quarta Germaniæ magnæ. Quinta Rætiæ, Norici, utriusque Pannoniæ & Illyrici. Sexta Italiæ & Corsicæ insulæ. Septima Sardinæ & Siciliæ insularum. Octava Sarmatiæ Europææ, & Tauricæ Chersonesi. Nona Daciæ, Mysiæ & Thraciæ. Decima Græciæ.

Hodie dividitur in plurima regna atque Principatus. Regnorum præcipua sunt, Hispania, Gallia, Anglia, Scotia, Hibernia, Norvegia, Suecia, Dania, Germania, dein Polonia, Borussia, Vngaria, Slavonia, Croatia, Dalmatia, Bosnia, Servia, Bulgaria, Tartaria minor, sive Precopenfis, item regnum Neapolitanum & Siciliæ. Archiducatus unus est Austriæ. Magni Ducatus tres, Moscovia, Lituania, Tuscia. Ducatus & Principatus innumeri. *Regna.*

Eadem jam inde à Macedonibus & Romanis sedes Imperii fuit; post Christum verò natus *Principes.* domicilium quoque orthodoxæ Fidei. In ea hodie rerum potiuntur varii. Britanniam & Hiberniam regit Carolus Jacobi Stuarti filius. Hispaniam, Philippus IV. Philippus III. filius, C  
Philippi







## D E S C R I P T I O

Philippi II. nepos, Caroli V. Imperatoris abnepos. Gallia paret Christianissimo Regi Lodovico XIII. Henrici magni filio. Germania Imperatori Ferdinando Austriaco, cui uxor Eleonora Mantuæ Ducis filia. Norvegia & Dania subjectæ sunt Christiano IV. Frederici F. Sueciam habet bello ac militia clarus Gustavus Caroli filius. Polonia & Lithuania præest Sigismundus. Hungaria, Bohæmia, Dalmatia, Croatia & Slavonia Imperatori Ferdinando subfunt. Græciam, Thraciam, Bulgariam tenet Turcarum Imperator Sultan Amurath. Viciiores Asiæ partes habent Russus & Tartarus. In Belgii parte res administrant Federati Ordines, res bellicas administrante Frederico Henrico Auranfiæ Principe: at quæ pars Hispaniarum regi paret, Archiducem agnoscit Isabellam Philippi II. filiam. Helvetii suis pagis formâ Reipublicæ præfunt, uti & Veneti suis terris.

*Status religionis.*

Status religionis per Vniversam Europam varius est. Pontificiæ religioni (Catholicam vocant) adhærent omnes Italiæ Principes, rex Galliarum, & Hispaniarum, in Germania Ferdinandus Imperator; Duces adhæc Sabaudia, Lotharingia, Bavaria, & Electores Imperii Ecclesiastici. Reformatæ quam vocant religioni favet Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ Rex, Dania, Suecia, Norvegia eidem, sed propriâ Lutheranorum appellatione. In Polonia & Lithuania Rex & procures plurimi Catholici sunt, ceteræ religiones ad distinctionem appellatæ Lutheranæ, Calvinistica, Ariana, Samosateniana, Iudaica, tolerantur & exercentur palam. Bohæmia jam Catholicam sectatur, quamvis & Hussitas & Valdenses & Lutheranos habeat. Moravia præterea etiam & Silesia Anabaptistas. Provinciæ in Belgio, quæ Isabellæ parent, omnes Catholicæ sunt. quæ verò Ordinibus Federatis, reformatam religionem amplexæ sunt. Lutheranorum tamen, Anabaptistarum, Puritanorum, & Brunistarum, etiam, uno loco, Iudæorum cœtus publici tolerantur. In Helvetia pagi quidam sunt Catholici, ut Lucernensis, Tugienfis, Suitensis, Vnderwaldensis, Solodurensis, Friburgensis, Vriensis: quidam reformati, ut Tigurinus & Bernensis. In Turcia sunt Mahumetani, & Græci schismatici dicti. In Russia Græci, Armenii, & Pagani.

*Vrbes præcipuæ.*

Vrbes Europæ amplissimæ, maximeque celebres sunt, Roma, Constantinopolis, Praga, Lutetia, Londinum, Venetia, Genua, Neapolis, Lisbona, Toletum, Sevilia, Antwerpia, Amsterdamum, Gedanum &c. Flumina præcipua sunt, Danubius, Rhenus, Albis, Vistula, Borysthenes, Tanais, &c. Montes maximè clari Alpes & Pyrenæi.

*Figura.*

Figuram universæ Europæ dedit Strabo Draconis, cujus caput Hispania, collum Gallia, corpus Germania, ala dextra leuæque Italia, ac Cimbrica peninsula. Recentiores eam feminæ sedenti comparant, cujus caput Hispania, collum extrema Gallia, qua Pyrenæis adjacet montibus; pectus ipsa Gallia, Brachia Italia ac Britannia, venter Germania, umbilicus Bojohæmia, reliquum corporis sub vestibus latè circa sedem diffusis implent Norvegia, Dania, Suedia, Finnia, Livonia, Lituania, Prussia, Polonia, Vngaria, Slavonia, Croatia, Dalmatia, Græcia, Thracia, Servia, Bulgaria, Transilvania, Valachia, Moldavia, Tartaria Precopensis, & Moscovia.

*Lingua Europæa.*

Lingua, quibus Europæi utuntur, vel Matrices sunt, vel earundem Propagines. Linguas Matrices vocare possumus, ex quibus multæ dialecti, tanquam propagines, deductæ sunt. Propagines quidem unius matricis linguæ commercio inter se aliquo conjunctæ sunt. Matricum verò inter se nulla est cognatio, neque in verbis, neque in analogia. Sunt igitur *Matrices* eæ, quæ per omnia inter se discrepant; cujusmodi undecim & non amplius, hodie supersunt in universa Europâ, quarum quatuor amplissimæ sunt, reliquæ septem longè inferiores. Itaque illas quatuor *Matrices majores*, reliquas *minores* vocabimus. Eadem verba faciunt unam linguam videri: sed eorundem verborum trajectio, immutatio, inflexio aliam atque aliam Propaginem facit. Nam Italicam, Hispanicam, & Gallicam *Latinam* vocamus, propter unum verbum Latinum, quanquam variè immutatum in illis tribus. Exempli gratiâ: *Gener* Latinum, Italis *Genaro*, Hispanis *Terno*, Gallis *Gendre*: Latina sunt, si originem spectes; sin distortionem unaquæque natio illud vendicat sibi. Itaque possumus deligere unum verbum Matricis, quod commune sit Propaginitibus sive dialectis, à quo nomen ipsa Matrix habere possit. Sunt igitur quatuor hæc verba, Deus, *Gods*, Godt, Boge, notæ quatuor majorum Matricum, *Latina*, *Græca*, *Teutonice*, *Slavonica*. Hæ, ut diximus, supra septem minores latissimè patent. Lingua *Bogæ* hoc est Slavonica duplices Characteres sunt, *Rutenici*, sive *Moscovitici* è Græcis depravati, totidem numero & figura pene similes adjunctis pauculis Barbaris: item *Dalmatici*, qui & *Hieronimiani*, eadem potestate, totidem numero, sed figura longè dissimillimi. Atque adeò duplex sacrorum Librorum translatio, Rutenica recentior, & Hieronymiana vetustior. Hæc matrix sive lingua *Bogæ* in multas propagines dispersa est, *Rutenicam*, Polonicam, Boemicam, Illyricam, Dalmaticam, Windicam, & alias, quas unusquisque potest adjicere. Matricis *Godt* hoc est Teutonice, propagines sive Idiomatica præcipua sunt tria, *Teutonismus*, *Saxonismus*, & *Danismus*. Rursus Teutonismi Idiomatica duo, *Superior Teutonismus*, quæ est lingua *Wasser*: *Inferior Teutonismus*, sive lingua *Water*: Reliqua



Reliqua duo Idiomata & ipsa quidem sunt Linguae *Water*: sed Saxonismi propagines sunt Nord-Albingorum & Frisiorum, item Anglorum dialectus: quæ tamen veterum Nord-Albingorum & Turingiorum dialecti sunt Anglismus, & Scotismus. *Danismi* tria discrimina sunt. Lingua scilicet Danorum Limitaneorum, quos *Denemarkos* vocant; Danorum Australium, qui Suedan, Suedi & Sueones ab Austro dicti: denique Danorum Septentrionalium, qui *Nordan*, *Normanni* & *Norwegi* vocantur: à quorum idiomate propagatum est *Islandicum* hodiernum, quod ita intelligitur à Norwegis, ut Hollandica lingua à Germanis, Italica à Gallis. Matrix *Deus*, hoc est Latina, peperit Italicam, Gallicam & Hispanicam, quæ omnes uno nomine Romanæ, id est Romanenses five Romanæ vocantur, quam appellationem Victores Barbari induxerunt. Nam in eorum legibus duplex conditio Ingenuorum; deterior Romanorum, ut Latinorum Romæ. In Gallia olim, Franci & Burgundiones, in Italia Longobardi, in Hispania Gotthi distinguuntur à Romanis, ut Quirites à Latinis civibus. Hinc Luitprandus Tiotiscam Galliam à Romana distinguit. Matricis *ois* plura sunt Idiomata, quod non mirum in tot Insularum intervallis, quæ ut loco, ita linguæ commercio valde diffident. Atque de quatuor majoribus Matricibus hæcenus. Reliquæ septem minores sunt hæc: *Epirotica*, quàm Albanam vocamus, in montanis Epiri, ubi gens studiis asperrima belli, indigenæ an advenæ incertum. Secunda *Cosacorum* & *Præcopiensium* id est *Tartarica*. Tertia *Hungarorum*, quàm ex Asia in Europam transeverunt crudelissimæ duæ gentes, Hunni & Avars. Quarta *Finnonica*, cujus propago est Laponica, in Septentrionalibus Scandinaviæ Suedorum. Quinta *Hirlandica*, cujus pars, quæ hodie in usu Scotis silvestribus. Sexta Vetus Britannica, in Montibus, Anglis: item in Aræmorica Gallis, quàm *Brittonantem* linguam Galli vocant. Septima *Cantabrorum*, quos *Biscainos* Galli & Hispani nominant, quæ sunt reliquæ veteris Hispanicæ: patet, ut minimum itinere septem dierum cis & uls Pyrenæos, à Bajonensi usque agro, quem tractum in tabellis Layurdensem vocant Sidonius & alii Veteres. Hæc sunt undecim Matrices nullo inter se cognationis vinculo conjunctæ: atque has inter se diviserunt Ecclesiæ Constantinopolitana & Romana. Et quidem commercio Characterum quintuplicis generis, *Latinorum*, *Græcorum*, *Hieronymianorum*, *Ruthenicorum* & *Gotthorum*. Nam & ipsi veteres Gotthi suos Characteres habent, Sacra alioquin Græco ritu celebrantes, Lingua veteri Gotthica: in usu autem quotidiano magna ex parte Teutoniffant.

Istarum vero linguarum Matricum in Occidentaliore quidem Europæ parte versus meridiem *Latina* viget, cujus varie admodum mutata distortaque Propaginibus utuntur *Hispania*, *Gallia*, *Italia*: versus Septentrionem *Teutonica*, cujus Dialecti Teutonismus specialioris notionis & Danismus. Prior usurpatur, non exiguo tamen discrimine, in Germania tam Superiore, quàm Inferiore. Posterioris tres sunt differentiæ, Danorum Limitaneorum, qui Daniam; Australium, qui Sueciam: Septentrionalium, qui Norvegiam habitant. His adhæret *Finmarchia*, cui peculiare est Idioma, propaginem habens Laponicam, qua utitur Lappia.

In Orientaliore Europæ parte ad Septentrionem Slavonica obtinet, quæ in multas propagines est diffusa. Nam in quibus ibi regionibus non ejus usus? Gaudet ea populi, quos ferè majorum nostrorum temporibus longè lateque habuisse constat Superiorem Inferioremque & Mæciam & Pannoniam, Daciam, Illyricum, Dalmatiam, Sarmatiam & alias: qui hodie Poloni, Hungari, Transilvani, Walachi, Livones, Lituani, Podolii, Moldavi, Bulgari, & alii.

Laudes Europæ apud Strabonem videre licet, qui eam libro tertio, septemque sequentibus libris elegantissimè descripsit. Ex recentioribus eam describere, Volaterranus, Munsterus, Dominicus Niger, Georgius Rithaymerus, in suis Geographiis. Accuratissimè verò eam descripserunt, Pius II. Christophorus & Ancelmus Cellæ. Itineraria verò per universam Europam literis mandarunt, Cherubinus Stella, Iohannes Herbaceus, & Georgius Mayerus, & Guilielmus Gratarolus in calce libri, qui inscribitur, *de regimine iter agentium*.